



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Fundamentum ex verbo Dei, quare sacerdotibus Coniugium debeat  
relinqui liberum 124

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

quemadmodum, pro dolor, luce meridiana clarius est, & res ipsa clamat, sciât, se non habere, quod nostram Coniugij permissionem taxent, aut de legibus sublimioris cuiusdam castitatis disputent.

*Fundamentum ex verbo Dei desumptum, Quod teneamur Sacerdotibus Coniugium liberum permittere.*

*Solutio argumentorum Aduersariorum quæ ducunt ex loco Pauli, 1. Cor. 7. Qui cælebs est, curat ea quæ sunt Domini, &c.*

*Solutio alterius argumeti, ducti ex dicto Pauli, 1. Cor. 7. Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu, pro tempore, vel vacetis ieiunio & precatoni.*

*De secundis nuptiis Sacerdotum.*

C A P. CXXIV.



Os, tanquam Christianus Episcopus, tenemur, providere, vt Ecclesiis verè pij, Dei que timentes ministri præficiantur, qui nullo scelere, quod vim habet è regno Dei excludendi, implicati & irretiti sint. Tit. 1. Iam diuturni temporis experientia docuit, fieri nullo modo posse, vt promiscua illa Sacerdotum cum mulieribus commixtio è medio tollatur, nisi legitimum Matrimonium permittatur. Sæpius enim illud, sed frustra tentatum est, ab eo vsque tempore, quo propositum fuerat prohibitionem Matrimonij plene in actum perducere. Quod apud Germanos primùm circa annũ Christi M. LXXIV. sub Gregorio VII. non sine graui tumultu, & infinitis scandalis factum est, vt testatur Sigebertus Gemblacensis in suo Chronico. Ex quo iam dudum omnes prudẽtes Episcopi, & alij Magistratus, fieri non posse iudicarunt, vt Sacerdotibus tantùm manifestè illegitimi concubitus, sine maiori periculo, prohibeantur, nisi legitimum matrimonium contrahendi potestas eis concedatur.

Cùm igitur S. Coniugium res per se Sancta sit, & iuxta ministerium Ecclesiæ non tantum bene consistere, verum etiam multum auxiliij & adiumenti eidem asserre queat, iuxta testimonium Spiritus sancti, qui statim postquam Episcopum irreprehensibilem esse voluit, subiunxit, vnus vxoris maritum: cùm que nisi legitimum matrimonium liberum permittamus, idoneos ac Dei timẽtes ministros pro Ecclesiis fidei nostræ commẽdatis, comparare nequeamus, sanè debitores sumus coram Domino, vt medium liciti matrimonij, & à Deo ipso instituti, diutius non differamus, sinamúsque hac ratione miseris Parochias idoneis ministris destitutas esse.

Obiicitur quidem hoc loco dictum Pauli, Qui cælebs est, curat ea quæ sunt Domini, quomodo placiturus sit Domino. At qui duxit vxorem, sollicitus est de his, quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit vxori. Sed dictum istud in eo sensu intelligi debet, quo est ab Apostolo prolatum. Haud dubiè enim non ab omnibus Coniugibus curam